



10 Jul

1777.

INTERPRETATIO
VERBORVM SACRAE COENAE: HOC
EST CORPVS MEVM, AB ENALLAGE
GENERIS VINDICATVR.

PROLVVSIO
PRAEMISSA
EXAMINI COTHENIS
ANHALTINORVM

A, D. XVII. MART. A. C. CIOICCLXXVII. H. VIII.
ANTEMERID.

H A B E N D O

A

THEOD. FRID. STANGE

CIV. SCHOL. QVAE COTHENIS EST, RECTORE.



HALAE,
LITTERIS CVRTIANIS.

pta ad antecedens vocabulum *αρτος* trahatur. Ex horum enim legibus si *τῆτο* ad *αρτον* referatur, *ουτος* ponendum esse. Id se maxime mouisse ait, ad vulgarem opinionem deferendam et *τῆτο* ad *εσθιεν* referendam. Plane inusitatum hoc quidem non est: Opinata enim haec discrepantia generis alios iam impulit, vt aliam tentarent explicationem, ac *τῆτο* ad *λαβειν* et *εσθιεν* traherent. Sic I. C. Koecherus *) aliique eum sequentes post vocabulum *τῆτο* repetunt ea, quae proxime antecedunt: *λαβετε, Φαγετε, τῆτο (ο λαβετε, Φαγετε) εσι το σωμα μου*. At sane non erat, quod ea de causa consuetam interpretationem improbarent; tantum enim abest, vt verbis *τῆτο εσι το σωμα μου* ad *αρτον* relatis in leges grammaticorum peccetur, vt potius ita dici oporteat, aliterque prolata verba et *ουτος εσι το σωμα μου* posita adeo contra grammaticen pugnassent, vt vel pueris graecis risum mouissent. Plane non intelligo, qua ratione Baccouenius aliique, qui tamen grammatici videri volunt, et nescio quam enallagen assumant, haec ignorare potuerint. Constat enim saltem deberet, inter grammaticos non solum latinos sed etiam graecos pronomina, *hic, ille, is, qui, os, ουτος* aliaque cum verbo *sum* et *εμι* coniuncta conuenire genere cum sequente vocabulo, referrique ad attributum enunciationis, licet significatione et demonstratione referantur ad subiectum. Quod paucis contra Baccouenium et nonnullos grammaticos graecos enallagen assumen-

*) in *Analect. philol. et exeg. ad h. l. p. 466.*

res, asserere volupe est. Latinis ita in usu esse, infinitis veterum scriptorum locis ostendere possem, ab aliis fere iam haec allata loca sufficiant. Sic Iustinus *) ait: *Olympiadem Neoptolemi Molossorum filiam uxorem ducit: Quae causa illi exitii malorumque omnium initium fuit.* Non dicit, quod causa illi exitii fuit, sed quae. Cicero **) ait: *Talia sequuntur ea, quae non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodammodo sensibus, ut haec, illud est album, hoc dulce: canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum. Animo iam haec tenemus comprehensa, non sensibus. Ille deinceps equus est ille canis.* Non posuit, illud est equus, illud canis. Huic simile est Liuianum illud libro secundo: *Ni vnus vir fuisset, Horatius Cocles: id munimentum eo die fortuna urbis habuit.* Non hunc, sed id dixit, licet Horatium Coclitem designet. Ex multis Virgilianis locis idem apparet. Ita ***) canit

At reuocare gradum, superasque euaders
ad auras,

Hoc opus, hic labor est.

Item ****)

Expectare dapes, et plenae pocula mensae

* 3

Hic

*) lib. VII.

**) Cic. lib. IV. Acad. quaest.

***) lib. VI. 128. Aeneid.

****) Lib. XI. 737. Aeneid.

Hic amor, hoc studium; dum sacra secundus haruspex

Nuntiet,

Non scripsit *hoc opus, hoc labor; hoc amor, hoc studium*, ut homines nostri fere solent; licet reuera nihil aliud sit, quam, haec res est amor; haec res est studium. Ni mirum pronomen genere respondet ei nomini, quod est in enunciationis praedicato. Insigne exemplum attulit Ioa. Vorstius *) ex auctore de operibus Christi cardinalibus, qui inter Cypriani opera reperitur, ubi de S. Eucharistia agit, cum non ipsa verba, hoc est corpus meum, usurpare, sed pro vocabulo corpus vocabulum caro substituere vellet, non scripsit hoc est caro mea, sed haec est caro mea. Sed in re adeo clara pudet plura exempla ponere. Si igitur id, quod nos dicimus: *Dieses ist der Mensch* latine exprimere volumus, hic, non hoc, est homo; *Welches die Ursach ist* quae est causa, dicendum. Ita si picturam patris manu tenens, dico, hic est pater meus, pronomen genere conuenit cum attributo, significat tamen et demonstrat subiectum, nempe picturam, quam manu teneo; sensus enim est: haec pictura est pater meus. Si boues, asinos, camelos alicui offerens dico, *haec est merces tua*, pronomen procul dubio pro subiecto continet et demonstrat res istas, quas offero, quamuis genere et numero ab iis discrepans conueniat cum attributo.

*) in dissert. sacr. p. 131.

tributo. Recte itaque Thuanum, Scaligerum contra hoc grammaticorum praeceptum peccantes castigat Scioppius *). Ita et nostro loco dicendum, hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, vti recte vertit vulgatus interpres: Quem igitur nostrae aetatis interpretes vti Iunius, Tremellius, Glassius et plerique litterarum humaniorum fere expertes ea de re falso vituperarunt; cum plane aliter per linguae indolem transferre non potuerit. Noster quidem sacertos P. R. cum multis aliis barbaris theologis posuit, **) *boc est sanguis meus effusus; boc est communio sanguinis.* At haec innumeris aliis foloecismis ***) et barbarismis, quibus hic libellus inquinatus est, annumeranda. Sed audio Baccouenium nostrum ad haec inquietem, praeceptum hoc grammatices verum quidem esse in latino sermone, at longe aliam esse linguae graecae rationem: Nam in hac in eiusmodi dictionibus neutrum genus scribi oportere et exempla contraria esse potius exceptiones, quasque enallagas appellare possis. Salua vero res est: Non in latina sed et in graeca lingua haec lex est; aliterque verba nostraeque linguae conuenientiora si eloquaris, peccatum in vtrisque linguis et graeca et latina committes. Talia exempla non debebant cum omnibus

* 4 fere

*) in lib. de stil. histor.

**) pag. 43.

***) v. g. pag. 5. in verbis quatenus iis recte exprimi et interpretatum iri Christi promissiones.

fere grammaticis graecis ad enallagen referri: Vernacula vero lingua, vt fere fit, decepti homines nostri ex ignorantia ad tales figuras retulerunt. Si vero per leges linguae graecae eius generis dictiones aliter dici nequeunt, falso in *εναλλαγων* numerum referuntur, meritoque exploduntur. Nam linguae constructiones eae, quae ex eius genio necessario sunt ponendae, figuris grammaticis accenseri nequeunt. Quis quaeso graece doctus v. g. *ζωα τρεχει* ad enallagen numeri annumerabit? cum neutra pluralia verba in singulari numero requirant; aliterque plerumque non dicatur. Non opus esse arbitror, multis exterorum locis grammaticorum *κονοια* asserere; auctores enim graeci, male profani appellati, a sacerdotibus ruralibus non facile leguntur. Ex nouo testamento afferri possunt exempla ea, quae Baccouenius *) cum aliis vulgaribus grammaticis citat; nostramque sententiam demonstrat. Semper enim in Nouo Testamento pronomina *ος*, *ουτος* aliaque cum verbo *εμι* coniuncta genere cum sequente vocabulo conueniunt, licet significatione ad antecedentia referantur. Tuto prouocare licet omnes grammaticastros, vt nobis vel vnum locum noui testamenti ostendant, in quo ab regula nostra aberratum rationeque ea, qua *ουτος εστι το σωμα μου* dictum sit. Prouoco Baccouenium et Phyllida solus habeto. Sic Paulus **): *Και την μαχαιραν του πνευματος, ο εστι ρημα του Θεου*

*) pag. 34. seq.

**) Ephes. VI. 17.

Θεου. Peccasset in linguam graecam apostolus, si η posuisset et ad *μαχαιραν* genere retulisset, tunc enallagen, vti grammatici vulgares loquuntur, commisisset. Alio loco *) : *Και τω σπερματι σου, ος εσι Χριστος*, male dixisset Apostolus *ο εσι χριστος*. In epistola ad Ephes. **) ait : *ος εσιν αραβων*, quamuis ad antecedens *πνευμα* pertineat sensuque referatur. Porro in eadem epistola ***) dicit : Quapropter peto, ne segnes fiatis ob afflictiones meas pro vobis, *η τις εσι δοξα υμων*, nempe *υμεις*, ad quos pertinet. In prima ad Timotheum epistola ****) dicit : *να ειδης, πως δει εν οικω Θεου αναερεφεισθαι, η τις εσιν εκκλησια Θεου ζωντος*; ibi η τις sensu refertur ad *οικον*, genere vero ex grammaticis legibus ad *εκκλησιαν*. Eodem modo explicandus est locus in prima ad Corinthios †) epistola : *ο ναος του Θεου αγιος εσιν, οιτινες εσε υμεις*. In quo pronomem *οιτινες* ad sequens vocabulum *υμεις* genere sensu ad *ναον* trahendum. Ita etiam Christus ††) loquitur : *το δε καλον σπερμα, ουτο εσιν οι υιοι της βασιλειας*. Non ait cum grammaticis nostris *ο εσι*, sed *ουτοι εστι* propter sequens *υιοι*. Eodem iure explicari etiam debent Pauli †††)

*) Gal. III. 6.

**) Eph. I. 14.

***) III, 13.

****) 1 Tim. III. 15.

†) 1 Cor. III. 17.

††) Matth. XIII. 8.

†††) Gal. IV. 24.

verba: *αὐτὰ ἐσὶν ἀλληγορούμενα· αὐτὰ γὰρ εἰσὶν αἱ
 δύο διαθήκαι.* Secundum grammaticam *αὐτὰ* ad
 vocabulum *διαθήκαι* secundum logicam ad *ἀλληγο-
 ρούμενα* aut si cum Baccouenio mauiis ad *παιδισκην*
 et *ἐλευθεραν* referri debent. Eadem dicenda de lo-
 co Lucae 8, 14. Nostro canoni etiam non aduer-
 sator saltem aduersariis non patrocinatur locus Mar-
 cianus. *) Vbi dicitur: Veniens vidua pauper
 iniecit *λεπτά δύο, ὁ ἐστὶ κοδραντῆς*, hic *το* cum vo-
 cabulo *κοδραντῆς* non conuenit genere, at non item
 cum vocabulo *λεπτά*. Forte hoc loco ὁ male cum
 spiritu et accentu scriptum, rectius per spiritum
 asperum solum scribendum, vt sit praepositiuus
 non postpositiuus articulus. Ita essent nostrae legi
 omnia conuenientia. Scio quidem, dici contra id
 posse, si articulus praepositiuus esset, non *ἐστὶ* sed
ων scribi debuisset; nescio vero an non articuli hic
 permutari potuerint. Tandem sic reperitur in epi-
 stola ad Philipenses **) : *καὶ μὴ πτυρομένοι ἐν μηδε-
 νι ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων· ἥτις αὐτοῖς μὲν ἐσὶν ἐνδείξις
 ἀπωλείας ὑμῶν δὲ σωτηρίας.* Quae illis est caussa
 perditionis. Vides in his *ἥτις* genere congruere cum
 sequenti nomine *ἐνδείξις*, sed quod ad sensum atti-
 net ad antecedentia pertinet, estque positum pro
ο, τι. Afflictionem istam, qua Philipenses ab ad-
 uersariis vrgebantur, ipsis aduersariis dicit, esse
 argumentum futurae poenae. Philipensibus au-
 tem argumentum salutis. Quid ad haec V. P. R. ?
 Nihil

*) Marc. XII, 42.

**) Phil. I, 28.

Nihil fere quam haec: Articulum postpositivum *ος* et *οστις* enallagen opinatam admittere non vero pronomen demonstrativum *ουτος*, nulloque saltem exemplo id constare. Sed cur articulus *ος* tantum eo iure gauderet et *ουτος* priuaretur, cum tamen alias eandem constructionem habeant? Et nullo exemplo id constare, nemini facile persuadebis. En Ioannem *) locum: *Αυτη δε εστι η αιωνιος ζωη, ινα γνωσκωσι σε τον μονον αληθινον Θεον, και ου απεσειλας Ιησουν χριστον.* Vocabulum *αυτη*, quamvis quod ad sensum respiciat ad enunciationis subiectum, genere grammatico tamen convenit cum enunciationis attributo, nempe *ζωη αιωνιω*. Et in verbis Christi **): *ουτος γαρ εστι ο νομος και οι προφηται* consueta lex observata. V. P. R. quidem ait, pronomen *ουτος* quod ad sensum pertinere ad *νομον*, ut mens sit: haec lex est atque prophetarum: *παντα οσα αν θελητε κ. λ.* Hoc vero locum habere non potest; verba enim *π. ο. α. θ. κ. λ.* antecedunt illis, *ουτος εστι ο νομος*, non sequuntur et propter particulam *γαρ* ex antecedentibus colliguntur. Ac postquam legem attulerat, dicit, hanc, barbari dixissent *hoc*, esse legem. Vocabulum *ουτος* includit illud facere hominibus omnia, quae velimus nobis ab ipsis fieri. Itemque est ac quod Paulus ***) dixit: *εν τουτω ανακεφαλαιωται ο νομος και οι προφηται*; vel ut verba Christi ****) habent: *εν τουτω ο νομος*

*) Ioh. XVII. 3.

**) Matth. VII. 12.

***) Rom. XIII. 9.

****) Matth. XXII. 40.

ο νομος και οι προφηται κερμανται. Ex quibus locis satis apparet, Christum atque Paulum declarasse, pronomen *ουτος* in loco citato non referendum quod ad sensum ad *νομον*, ut V. P. R. vult, sed ad sermonem antecedentem, licet cum sequente vocabulo *νομος* genere congruat. Lectionem vulgatam *ουτος* alteri *ουτως* praeferendam, demonstrant et optimi vetustissimique codices et versiones antiquissimae. *Ουτως* sine dubio ex antecedente *ουτω* a librariis in codices nonnullos irrepsit. Bene in Talmude *) expressa nostra phrasis: כל התורה כלה. *Haec est perfecta lex.* In aliis locis quidem ipsum pronomen neutrius generis *τουτο* inuenitur, haec tamen superioribus non sunt dissimilia. Ita sunt quae leguntur in euangelio Ioannis **). *Τουτο εστι το εργον του Θεου, να πισευητε.* Nimirum hic pronomen conuenire potuit cum sequente *εργον*. Si vero ipsum nomen fuisset alterius generis, pronomen demonstratiuum id fuisset imitatum. Similis ratio est verborum: *Τουτο γαρ εστιν το αμμα μου,* ubi *τουτο* tam ad *ποτηριον* quam ad *αμμα* referri posse videtur, aequae ac in syriacis הכי דמי. Vulgatus bene, ut dictum, vertit *hic est sanguis meus.* Ita etiam *τουτο* exponi velim, ut sanguinem potius quam poculum generi referat. Et si vero pronomen genere ad attributum, significatione autem refertur ad subiectum, quod est poculum. Ita etiam comparata sunt nostra verba disceptata: *Τουτο*

*) Mass. Schabbath cap. 2.

**) Ioh. VI. 29.

εἰς τὸ σῶμα μου, ibi vero τούτο genere etiam re-
 fertur ad σῶμα, significatione tamen optime gram-
 maticaeque conuenienter ad αἴτιον referri potest.
 Sic enim vsus loquendi obtinuit, vt quando subie-
 ctum subicitur, pronomini demonstratiuo, cui
 subiectum includitur tribuatur cum verbo εἰμι ge-
 nus attributi: Quum in Luca *) extat: Τούτο τὸ
 ποτήριον ἢ κἀνή διαθήκη, fateor τούτο genere con-
 uenire cum subiecto, quod est ποτήριον, quia id
 exprimitur; at si non exprimeretur, diceretur, αὐ-
 τὴ εἰν ἢ κἀνή διαθήκη; iam pronomen habet genus
 praedicati, et tamen sensus prorsus idem est. Non
 arbitror futuros, qui nostrae legi grammatices no-
 bilem illum (Aeliani **) locum, in quo imperitiam
 veterum pictorum describit, additque eos imagini-
 bus adscripsisse, Τούτο βους, ἐκεῖνο ὑππος, τούτο
 δένδρον opponant: Nam in his dictionibus non ex-
 pressum est verbum substantiuum εἰς, vt in allatis
 exemplis, et si οὗτος βῆς, ἐκεῖνος ὑππος scripsis-
 set Aelianus veram auctoris mentem non intellige-
 remus. Cum omnibus his iam allatis conferat le-
 ctor beneuolus verba Viri P. R. ***) et iudicet, quam
 praeue sint dicta. *Probe quoque tenendum est, omnes
 tres Euangelistas cum Paulo egregie conspirando, non
 masculinum, sed neutrum, cui lectioni nulla ex va-
 riantibus contradicit vsurpassē, atque eodem men-
 tem*

*) Luc. XXII. 20.

**) Var. hist. lib. X. cap. 10.

***) pag. 15.

tem seruatoris procul dubio recte expressisse, nec vllam dari posse rationem fonticam, cur neutrum loco masculini adhibuerint, si ad *αγρον* referri voluerint, nec vllum extare exemplum, quo relatiuum *) *τετο* ad praecedens substantiuum masculini aut feminini generis recte referri posse, probari queat. In sequentibus castigat Vir P. R. Interpretes Alexandrinos, quod veritatem hebraicam, *מצע מצע עמה פתי* male verterint: *Τουτο νυν οσεν εκ των οσεων μου*, cum femininum *פתי* per *αυτη* vertere debuissent. Male vero taxat hos interpretes, legibus enim grammaticis interpretari ita debebant, si vero *αυτη* transtulissent, contra prima linguae graecae elementa peccassent. At pergit Baccouenius: *In sequentibus tamen verterunt: Αυτη αληθησεται γυνη, οτι εκ του ανδρος αυτης εληφθη αυτη.* Nemo non vero tacente videt, obsequens vocabulum *γυνη* ita scribere oportuisse. Non igitur, vt tu scribis, per sequens femininum *מצע* et masculinum *בשר*, quod vtrumque per neutrum exprimere voluerunt; vel per *מצע* ad quod tantum respexerunt; sed per solas leges grammaticae graecae ad hoc inducti sunt. Ex nostra itaque lege in promptu est intelligere, quam falsa sequentia auctoris tentaminis verba **) scripta sint: *Et posito etiam, quod Cbristus heic panem indicare voluerit, nulla certe grauiore ex genio linguae*

*) Erras Vir P. R. *ουτος* non est pronomen relatiuum sed demonstratiuum.

**) pag. 29,

guae defumta ratione arcebatur dicere: ουτος εστι το
 σωμα μου. Praesertim si Christus ex vulgari sen-
 tentia αργον adhuc manibus tenuisse ac discipulis
 monstrasse creditur, ac Pilatus in inscriptione supra
 crucem Christi Matth. 27, 37. non prohibebatur po-
 nere: ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙ Ο ΙΗΣΟΥΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.
 Quare enim Pilatus exigente, id linguae genio non
 scripsit: ΤΟΥΤΟ ΕΣΤΙ Ο ΙΗΣΟΥΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ; cum tamen
 in historia Matthaei nullum subiectum expressum sit.
 ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙ ΤΟ ΣΩΜΑ ΜΟΥ et ΤΟΥΤΟ ΕΣΤΙ Ο ΙΗΣΟΥΣ Ο ΒΑΣΙ-
 ΛΕΥΣ dicere arcebatnr ex grauissima e linguae genio
 defumta ratione, ex qua pronomen ουτος cum ver-
 bo εμι coniunctum cum sequenti nomine secun-
 dum genus congruere debet. Sin aliter dictum
 fuisset, foedum grammatices vitium commississent
 Scriptores sancti.

Ex his omnibus confecisse videor, verba
 CHRISTI ΤΟΥΤΟ ΕΣΤΙ ΤΟ ΣΩΜΑ ΜΟΥ ex consueta do-
 ctorum reformatae ecclesiae interpretatione, ex qua
 sonant: Panis est corpus meum, legibus gramma-
 tices optime conuenire, enallagenque, ad quam
 tanquam ad sacram anchoram confugiunt gramma-
 ticastrī, hic locum habere non posse. Quae prae-
 cipua caussa erat, quae me ad hanc scriptionem in-
 pelleret. Consilium tantum erat, vulgatam inter-
 pretationem a vitio grammatices defendere. Pos-
 sem ipsam Viri P. R. disputationis arcem oppugna-
 re,

re, ostendereque interpretationem eius coactam
nimisque quaesitam esse, omninoque sanis interpre-
tandi praeceptis contrariam. At nimis circumscri-
pti sunt huius appendiculae termini, quam ut in
refutationem pleniorum excurrere possem. Ex his
sanis perspicere poterit, Vir P. R. se temere con-
suetam explicationem deseruisse.

T A N T V M.





Ex his, quae diximus, intelligant disciplinae
meae alumni, sine accurata litterarum huma-
norum intelligentia innumeris obnoxias esse errori-
bus disciplinas tantum non omnes; sanctiorem ma-
xime. At manum, ut aiunt, de tabula. Illud
ipsum enarrabimus, cui haec praefati sumus, ut
rationem examinis nostri indicemus.

Lectioes, quae pertractabuntur, sunt: Do-
ctrina christiana, Virgilii Aeneis, Institutio poeseos,
historia, Graeca, exercitatio sermonis bene latini.

Nomina discipulorum oratiunculas habentium
haec sunt:

A. C. *Schettler*, Profigk-Cothen. dicet de ve-
rae famae studio.

Ioa. Volr. Lud. *Salmuth*, Gusten-Cothen. de
commodis ex invidia percipiendis.

* 2

Vter-

Vterque horum oratiunculam suam ex aliena lingua vertit; hic e germanico in latinum sermonem, ille e latino in germanicum.

C. F. *Hinsch*, Neob. Cothen. de malis in homine affectibus; latine.

I. C. H. *Salmuth*, Guften - Cothen. causas inquirat, ob quas pauci eruditorum nominis famam consequantur. Germanice.

I. H. *Hofmeier*, Cothen. De germaniae rerum abundantia. Latine.

H. C. *Nagel*, Grosch - paschleb. Cothen. De hominibus negligentiae in amicitia accusandis. Germanice.

Quos si, cui commodum est, audire voluerit, non ipsos modo, sed me etiam magno beneficio obstringet. Itaque eos, qui scholae nostrae, atque adeo litteris nostris praesunt atque fauent, ut frequentes adsint, cum ipsorum, tum meo nomine vehementer rogatos volo.



153999

X 2310938

n

1777

INTERPRETATIO

ORBORVM SACRAE COENAE: HOC
EST CORPVS MEVM, AB ENALLAGE
GENERIS VINDICATVR.

PROLVVSIO

PRAEMISSA

EXAMINI COTHENIS
ANHALTINORVM

D. XVII. MART. A. C. MDCCCLXXVII. H. VIII.
ANTEMERID.

HABENDO

A


THEOD. FRID. STANGE

CIV. SCHOL. QVAE COTHENIS EST, RECTORE.



HALAE,

LITTERIS CVRTIANIS.



Farbkarte #13

B.I.G.